

praesumptor in ea contra premissa fecerit, a nostro collegio excludatur. Quod si dictus Licinius nec legaliter in sua Ecclesia perstiterit haeres; sed eventatus, ut extraneus accedens, et in sua mallet prima adhaerere Ecclesia, ut Presbyter permaneat.

X. Ut nullus Episcopus nostrae provinciae audeat in quolibet gradu Slavnicam linguam promovere; tamen in clericatu & monachatu Deo deservire. Nec in sua Ecclesia sinat eum missas facere, praeter si necessitatem Sacerdotum haberet, per supplicationem a Romano Pontifice licentiam ei sacerdotalis ministerii tribuat.

XI. Ut Episcopus Chroatorum (Nonensis), sicut nos omnes, nostrae Ecclesiae Metropolitanae subesse se sciat.

XII. Quod si Rex & Procures Chroatorum omnes dioeceseos Episcoporum infra limites nostrae Metropolitanæ suo cupiunt vindicare Pontifici, (h. e. Episcopo Nonensi), nullus ex nostris per omniam provinciam eorum neque regenerationes faciat, neque Ecclesias vel Presbyteros consecret, tum in suis sedibus commorantibus pro mie opus (sic). Quisquis ad nos accesserit, consecrari, regenerari, Chrisma sibi dari poposcerit, absque scrupulo omni per totam provinciam ipsa tribuant. De caetero autem cum suo Pontifice Deo reddant rationem de his omnibus, quae in eis Christianae Religionis dogma defuerit, nostra coram Deo conscientia est absoluta.

XIII. Ut in Ecclesia, ubi Presbyter occisus est, ante satisfactionem ipsius vel plebis, ut congruum ipsi Episcopo videtur, nullus missam faciat; et ut a Presbyteris res Ecclesiae non destruantur; neque semel suscepta Ecclesia sine causa relinquatur. Quod si aliter fecerit, donec perdita restituat, et Ecclesia propria accipiat, excommunicetur.

XIV. Ut uxores proprie deinceps non dimittantur, nisi propter fornicationem; quod si quis dimiserit, sic permaneat; et ut haeredes suos, servos suos litterate studiis (latinis) tradant. Quicumque Christianitatem perfectam habere cupiunt, ut illi eos instanter corripiant, et ipsi eos libenter exaudiant, non ut peregrinos, sed ut proprios.

XV. Quod si sacerdos incontinenter propter ipsam continentiam primam, quam sortitus est, separatus a consortio cella, teneat uxorem, si vero aliam duxerit, excommunicetur.

Haec ita habita deliberatione, quae supra scripta continentur, cuncta per ordinem sancta Synodus Romano Pontifici confirmanda per dictos suos Legatos Episcopos, et Petrum Presbyterum Spalatensem insertis litteris nuntiare decrevit: quatenus divinitus antiquae Religionis dogma in Ecclesiis Dalmatarum arbitrio summi Pontificis universa praelibata sortirentur. Sed cum terminare cuncta legitime antiquo more praestolaremur fuit fratris nostri Episcopi Nonensis (una et Croatorum slavici ritus) qui sibi vindicare cupiens primatum Dalmatarum Episcoporum, hoc, quod non expediebat, contra dictam Synodum in auribus apostolicis injustum injecit certamen. Quam ob rem diversa, et nuntiis recitantibus de his praesentibus, et litteris patentibus non aequalia, ambiguitas Ro-